

## IN MAHUMETEM PERFIDUM TURCHORUM REGEM

CV\_1 v.1 Turce, paras altae subvertere moenia Romae  
 2 et Christi legem perdere posse putas.  
 3 It Pius at contra ; reges capere arma ducesque  
 4 ocius hortatur. Sunt pia vota Pii :  
 5 Magne parens, adsis et nostris annue coeptis ;  
 6 filius haec suadet sumere bella tuus.  
 7 Ipse viam vitae docuit, praecepta salutis,  
 8 quae violare nefas annua sacra dedit.  
 9 Haec modo Turcorum rabies auferre laborat  
 10 et Mahometeis ritibus invigilat.  
 11 Non hoc Dardanidum genus est nec sanguine Teucro  
 12 ducit avos : Scythica est taetraque barbaries ;  
 13 Pyrrhicheos montes et inhospita saxa colebat,  
 14 gens ignara Dei, gens inimica tibi.  
 15 Nunc Asiae dominatur agris Argivaque regna  
 16 occupat Illyriis Pannoniisque minax.  
 17 Quaque trahit Martem, divini nominis arces  
 18 eruit et sacras destruit igne domos.  
 19 Nulla novae legis, nulla est reverentia priscae,  
 20 nec Moysi recipit nec tua verba, Jesu.  
 21 Tertius ex alto Mahometes missus Olympo  
 22 creditur et flatu non caruisse tuo.  
 23 Sed quaenam probitas gentis ? Quae legis honestas ?  
 24 Summa illis laus est abstinuisse mero ;  
 25 in reliquis ventri parent nec crimina vitant  
 26 pessima nec vetita est illa vel illa venus.  
 27 Nec hominum vita est pecudumve bonumve canumve :  
 28 vina vetant, fateor : vina recusat equus.  
 29 Adde truces animos gentis, crudelia corda  
 30 atque patens rabidae pectus avaritiae  
 31 taediaque in nostros et non sanabile vulnus  
 32 invidiae. Christi perdere regna parant.  
 33 Non contra intenti validas armare cohortes,  
 34 si faveas coeptis, pergimus. Affer opem.  
 35 Haec tua si causa est, tua si victoria nosque  
 36 si cupimus ritus et tua signa sequi,  
 37 si tua turba sumus sacroque cruore redempti,  
 38 caelestis Verbi porrigere tela piis.

39 Parce pio generi Turcosque involve ruinis,  
 40 ne frustra tantum gens pia pergat iter.  
 41 Ex te pendemus : si vis, dabis arma manusque :  
 42 pendet ab arbitrio spesque salusque tuo.

PRO INGENII EXERCITATIONE

CV\_2 v.1 Hactenus aethereas claves, victricia signa,  
 2 Gallorum quis fusae acies cristaeque retunsae  
 3 et Siculo regi pax reddita : vestra, sorores,  
 4 orsa sequi placuit cantu, Parnasia proles.  
 5 Nunc majora canam : regni non unius arces  
 6 adverso sub Marte cadent : majora minantur  
 7 fulmineus crebros jaculatus Jupiter ignes  
 8 atque suos longe fulgentia sidera cursus  
 9 et gelidus Cancer et nostro Sirius aevo  
 10 frigidus et fervens alienis mensibus aestas.  
 11 Quid superos mutasse vices et mensis et anni  
 12 compulit et totas astris permittere habenas ?  
 13 Magna parant : scelerum poenas luet impius orbis  
 14 peste, fame et gladio ; pax terram linquet et omnes  
 15 bella petent urbes. Veniens qua lumina Titan  
 16 exhibet et fugiens miseris mortalibus aufert,  
 17 quaque riget Tanais, tepidus qua cornua Nilus  
 18 erigit : omnis ager conscripto milite bello  
 19 adjiciet vires : stillabit terra cruorem  
 20 et mare sanguineas vexatum classibus undas  
 21 evomet. Exsanguis per densa cadavera nautae  
 22 compellent puppes ; marcebunt littora tabo.  
 23 Causa mali tanti non conjunx, non sitis auri,  
 24 non amor imperii : pro relligione capessent  
 25 arma duces. Fusci relegunt qua thura Sabaei,  
 26 natus Arabs, Mahometes proprio nomine notus,  
 27 sacrilegas ausus populo componere leges,  
 28 quis Christum neget esse deum, neget impius unde  
 29 baptismum et prisco resecat praepudia cultro,  
 30 et tua, seu Liber, seu magni munera Noe  
 31 vina vetans Veneri cunctas laxarit habenas.  
 32 His devicta prior nugis Aegyptus inhaesit,  
 33 foeda voluptatum cultrix, traxitque Cyrenen  
 34 et tua regna, gemens mutato conjuge Dido,  
 35 et Mauros, Hispana quibus data littora praedae  
 36 nec procul a Baeti regni permissa potestas.  
 37 Parte alia Syrii populi Parthique potentes  
 38 Persarumque duces et Medica sceptra nefandis  
 39 consensere sacris. Scythicas profectus in oras  
 40 Caucaseas rupes penetravit, Amazonis arva,  
 41 Riphaeasque domos gelidas aquilonis ad arces  
 42 per juga, per colles furor idem mixta venenis  
 43 dogmata mortiferis effudit. Sedibus unde  
 44 dimissis venere truces, fera pectora, Turci  
 45 Phaside transmisso Colchorum littora circum  
 46 consedere, bonus Francis dum jura Pipinus  
 47 diceret. Hinc terras nacti, quas influit Halys,

48 Pascua Cappadocum, celsi de vertice Tauri  
 49 qui cadit et domiti prorumpit in aequora Ponti.  
 50 Tum Galatas Venetumque patres, Paphlagones, et urbes  
 51 Bithyniae, tum tecta Phrygum, celebresque ruinas  
 52 invasere suis damnataque Pergama fatis,  
 53 et quaevis Asiae regnator maximus olim  
 54 arva dedit Medo victus certamine Cresus.  
 55 Has Turci tenuere domos. Conjuncta potestas  
 56 Hellespontiaco de litore flumen ad altum  
 57 Euphratis : medias inter duo littora terras  
 58 Euxini Cilicisque maris sine rege potentes  
 59 majores coluere suos Mahometis amantes  
 60 spurcitas, foedos mores horrendaque sacra.  
 61 Jura dabant proceres generosae stirpis alumni,  
 62 concordēs animae : nulli de plebe licebat  
 63 surgere quaque parens, hac vixit filius arte,  
 64 expers militiae ; verum civilia postquam  
 65 bella duces traxere diu, ferrique potestas  
 66 prodiit in vulgus et plebi credita castra,  
 67 tum varias fortuna vices versare per urbes,  
 68 sceptrā viris mandare novis aequataque caelo  
 69 atria nobilium, fulvo quae texerat auro  
 70 luxuries Veterum, pervertere, tecta minorum  
 71 erigere atque luto submittere marmora tersa.  
 72 Agrestes tum forte inopes obscuraque turba  
 73 excrevere viros inter, qui regna tenerent  
 74 sublimes equitumque duces : tum primus avorum  
 75 Ottomannus egens latebris emersit ab imis.  
 76 Quid non arma queant ? Hinc nobilitatis origo,  
 77 hinc honor, hinc regnum : generosos arma quirites  
 78 et dominos rerum posuerunt. Haec eadem post  
 79 audacem in castris juvenem, qui sorte minori  
 80 militiae primam stipem tulit, arma beatum  
 81 effecere duce[m] quamquam sensuque manuque  
 82 egregium, Turcis posset qui frena superbis  
 83 et duras regni leges imponere victor.  
 84 Ottomannorum genus hinc, mavortia pubes,  
 85 imperio Graecos Asiae quae prima subactos  
 86 addidit et pravis Arabum miscere venenis  
 87 Europen studuit, sanctae delere volumen  
 88 legis et occiduas Christi subvertere gentes.  
 89 His prognatus avis, Amurati filius alter,  
 90 Mahometes nunc sceptrā tenet, Byzantia primus  
 91 moenia bombardis ausus proscindere adactis  
 92 et Graium imperium nomenque abolere vetustum.  
 93 Hoc sub rege ferox, quamquam laniata juvenus  
 94 Turcorum ad Savum famosaque littora Tauri  
 95 ipseque de pugna trepidus diffugerit, urgent  
 96 principis arma tamen miseros dimissa per agros  
 97 Mysorum et rursus tentant vada fluminis Histri  
 98 et Savum penetrare, tuas, Pannonia, metas.  
 99 Illyridemque novo devastant milite, captum  
 100 obtruncant regem gladio juvenesque senesque  
 101 servitio pressos Asiae trans littora mittunt.  
 102 Quis referat luctus hominum ? Quis talia fando  
 103 temperet a lacrimis ? Rapiuntur ab ubere matrum

104 infantes, amplexa virum matrona gementem  
105 eripitur ferro, sancti ceduntur ad aras  
106 presbyteri, nocuit claro de sanguine nasci,  
107 nobilitas mactata foro, cervice revulsa  
108 ora cadunt multoque jacent immersa cruore.  
109 Tempula dei collapsa ruunt, altaria passim  
110 franguntur, paries stat nullus imagine Christi  
111 signatus nullasque sinunt superesse lituras  
112 sanctorum. Celebri qua non stabulatur in aede  
113 gens inimica crucis ? Quae non loca sacra nefando  
114 concubitu foedant ? Visu miserabile : porci  
115 ossa patrum defossa vorant, veneranda piorum  
116 corpora dant canibus. Deus, o deus ! Hostia multo  
117 mixta luto pedibus teritur submissa profanis.  
118 Horruit ista Pius, Petri successor et orbis  
119 claviger aetherei, Venetumque rogare senatum  
120 pergit et Hungariae proceres, petit alta Philippi  
121 atria Burgundi missis, qui damna metumque  
122 commemorant et opem rebus labentibus orent.  
123 Auscultant dictis sancti pastoris et omnes  
124 concurrunt hilares pro religione piumque  
125 percutiunt foedus. Pannonica signa sequuntur  
126 Boiorum populi, rapidus quos permeat Hister,  
127 quique colunt saltus nostro fugientis ab orbe  
128 Hercyniae gelidique bibunt de fontibus Albis  
129 aut Oderam. Huc pictis concurrunt Saxones armis  
130 Cymbrorumque manus et forti pectore Dacus  
131 Sarmatiaeque duces hac Turcos parte lacescent.  
132 At Rhenus Belgaeque truces et Francia fortis  
133 et Rhodanus longo delapsus in aequora cursu,  
134 Pyrenei montes atque ultima terra Morinum  
135 et flavus toto divisus ab orbe Britannus  
136 Burgundo vires jungent ; Hispania dives  
137 auriferi trahet arma Tagi, trahet inclitus heros  
138 Alfonsus Numidas solitus vexare fugaces.  
139 Classe potens Venetus, quas dividit Abdua gentes  
140 imperio Anguigeri dare nomina coget, amoeni  
141 cultores Athesis ; tum plebs Patavina manusque,  
142 siqua manent veteris vestigia sacra Ravennae,  
143 remigium implebunt. Raris habitata colonis  
144 proxima Ladaeo maerens Aquileia Timavo  
145 reliquias regni releget, qua Julius olim  
146 constituisse Forum vulgo memoratur ; et Histri  
147 concurrent agiles, properabit Dalmata duro  
148 assuetus remo teretes agitare lacertos.  
149 Armabit Corcyra suas de more biremes  
150 suppetiasque ferens bello Minoia tellus  
151 Gnosia depictas implentia tela pharetras  
152 addet, et Euripi custos, Euboia, classi  
153 jussa alimenta feret : millenis navibus aequor  
154 sulcabunt Veneti, genus ex Antenore ductum.  
155 At Pius Aeneadam natus de gente Latinas  
156 eliciet vires. Iterum Romana propago  
157 navigio veteres Argos clarasque Mycenae  
158 urbes invisit quondam, nunc nomina tantum.  
159 Forsitan exustae repetent vestigia Trojae

160 matris amore viri. Tuscis qui dissecat Umbros  
161 undique bella petet ripasque armabit utrasque  
162 corniger hesperidum fluviis regnator aquarum.  
163 Materiam classi Picens dabit armaque jungens  
164 portus erit ratibus, quem Dorica sustinet Ancon.  
165 Ipse Pio externa nuper de gente triumphans  
166 atque Tarentini ditatus morte tyranni  
167 Ferdinandus equos addet validasque cohortes,  
168 Dyrrachium si forte petens velit agmine equestri  
169 Albano de monte magis contendere in hostem.  
170 Brundusio solvent ratibus jumenta vehentes ;  
171 protinus hinc una tranabunt aequora nocte.  
172 Anguiger Eridani dominator Sfortia si non  
173 juverit adversa victus valitudine, tectas  
174 ferro acies mittet ; gemmis fulgebit et auro  
175 tota cohors. Cernes, pulcher, tua gaudia, Borsi,  
176 Aurea sericeis pendentia lilia velis.  
177 Mantua concilio nuper ditata Pioque  
178 semper amica patri socias in proelia naves  
179 instruet, et Rheno vicina Bononia parvo  
180 jussa Pii faciet domino famulata beato.  
181 Assuetusque malo Ligur invidiosa Pelasgis  
182 nomina mutatis conjunget carbasa fatis  
183 nec minus Etruscis veniet de finibus ardens  
184 auxilium : celsas populosa fluentia puppes  
185 purpureis velis et multo vestiet ostro.  
186 Insuetus tantis agitari navibus Arnus  
187 turgidus Alpheae properabit in aequora Pisae  
188 ponere onus vultuque colens simulacra verendo  
189 Luca manus junget, nec te, tua gloria, Senae  
190 ire sinent solum, pastor qui maximus almas  
191 pascis oves Christi ; juvenes de gente vetusta  
192 custodes aderunt, qui te servare parati  
193 effugiant pulchram per nulla pericula mortem.  
194 Vincet amor patriae. Si non dabit aera senatus,  
195 plebs dabit et fracta matrona beatior arca.  
196 Hi Pius auxiliis, hoc fidens ordine rerum  
197 in Turcos parat ire ; sacer parat ire senatus  
198 cardineus longa praecedens agmina pompa.  
199 Turba sacerdotum niveis in vestibus ultro  
200 sacra feret dulcique crucem venerabitur hymno.  
201 Mahometes contra deceptas carmine gentes,  
202 Alcorane, tuo campos descendere in aequos  
203 coget et audaci committere proelia dextra.  
204 Terra patebit equis, constratum classibus aequor,  
205 undique bella frement : tantos cantare tumultus  
206 Musa cupit. Sanctae nunc aspirate puellae  
207 vestra Maroneum referentia carmina versum.  
208 Quis ? quis eat tandem summo e certamine victor ?  
209 Sacrilegus quamquam Maometes, turpis, adulter  
210 an Pius ? O superi, meliorem advertite causam  
211 Atque Pium servate pii, pia numina, vestrum.

## IN VIRGINEM MARIAM

CV\_3 v.1 Tu mihi semper ades et nostras usque benigno  
 2 exaudis vultu, virgo Maria, preces.  
 3 Heu, quotiens fatis fueram periturus acerbis,  
 4 ni tua texisset, virgo Maria, manus.  
 5 Tu me Tyrrheno duxisti ex aequore salvum  
 6 atque iterum Oceano, virgo Maria, mari ;  
 7 ultima terrarum me Thyle aut Orchas haberet,  
 8 me nisi servasses, virgo Maria, tibi.  
 9 Tu me per silvas atque horrida tecta ferarum  
 10 saepius incolumen, virgo Maria, ducis.  
 11 Quid referam fluvios, ventos imbresque nivesque,  
 12 quas te praeterii, virgo Maria, duce ?  
 13 Non aconita nocent, non ferrum, fulmina, flammae,  
 14 siquem servatum, virgo Maria, voles.  
 15 Mille mihi febres ademisti, mille dolores  
 16 et mihi mortiferam, virgo Maria, luem.  
 17 Quis numerare queat morborum nomina ? Morbus  
 18 omnis abit, dum tu, virgo Maria, jubes.  
 19 Non mihi livor edax oberit, non lingua dolosa,  
 20 dum mihi praesidium, virgo Maria, dabis.  
 21 Poscite, mortales, vestris in casibus, ut det  
 22 praestet et auxilium virgo Maria suum.

## EPITAPHIUM PROPRIUM

CV\_4 v.1 Ossa Pii claudio genuit quem Sena Secundi  
 2 Pontificis : paulum siste, viator, iter.  
 3 Quaeris facta Pii ? Conventum contrahit orbis,  
 4 Mantua concilio nobilitata suo est.  
 5 Latrones urbis suspendit et alta recidit  
 6 Maguntinei cornua pontificis.  
 7 Orbis monstra duo nulla virtute redempta  
 8 a vitiis gladio perculit Ecclesiae :  
 9 Austria majori mater, Malatesta minori  
 10 et Sigismundus unus et alter erat.  
 11 Exciderat regno Siculorum Alfonsius alto :  
 12 in solium rediit restituente Pio.  
 13 Inclita pragmaticam servabat Gallia legem :  
 14 Gallia pontifici cessit amica Pio.  
 15 Historiam scripsit, conjunxit epistola prosam  
 16 versibus orator atque poeta bonus.  
 17 Ultum ire in Turcos et vindicare Pelasgum  
 18 vulnere dum properat, mors tulit atra Pium.

## ALIUD

CV\_5 v.1 Ossa Pii claudio genuit quem Sena Secundi :  
 2 claudere facta brevi carmine non valeo.

## EPITAPHIUM PARENTUM PII PAPE

CV\_6 v.1 Silvius hic jaceo, conjunx Victoria mecum est.  
2 Filius hoc clausit marmore papa Pius.

## IN PORTA TIBURTINA

CV\_7 v.1 Grata bonis, invisata malis, inimica superbis  
2 sum tibi ; Tibur enim sic Pius instituit.

## IN ENSE LUDOVICO REGI DATO

CV\_8 v.1 Exerat in Turcos tua me, Ludovice, furentes  
2 dextera : Graiorum sanguinis ultor ero.  
3 Corruet imperium Maumethis, et inclita rursus  
4 Gallorum virtus te petet astra duce.

## NOX PLUVIA, DIES CANDIDA

CV\_9 v.1 Nocte pluit tota, redierunt tempora nostra :  
2 nox fuit acta hostis, lux erit ista dei.

## NOX PLUVIA, DIES CANDIDA

CV\_10 v.1 Humida praeteriit tempestas, sicca reversa est :  
2 nox inimica abiit, lux erit amica dies.

## NOX PLUVIA, DIES CANDIDA

CV\_11 v.1 Nocte pluit tota, rediit sed mane serenum :  
2 nox fuit en Satanae, lux erit ista Dei.

## EPITAPHIUM LEONARDI PATAVIENSIS EPISCOPI

CV\_12 v.1 Qui populos rexit moderatius, undique muris  
2 oppida qui cinxit aedibus eximiis,  
3 qui simul ecclesias ruinosaque castra refecit,  
4 qui census auxit pignora quique luit,  
5 quem bonus ingenti caesar dilexit amore  
6 et gener Albertus et Fridericus adhuc,  
7 largus elemosyna, peregrinis optimus hospes,  
8 clarus et ingenio, clarus et eloquio,  
9 durus in Hussitas, Laymingo e sanguine cretus,

10           justus et in cunctis providus atque pius,  
 11   hujus in hoc tumulto praesul dignissimus urbis  
 12           conditus est. Heu, cur, cur Leonardus obit ?  
 13   Stat sua cuique dies ; moritur majorque minorque :  
 14           nil homini melius quam bene scire mori.

#### IN CAMPANA TEMPLI PIENTINI

CV\_13   v.1    Parva fui nuper, qualis delubra deceret  
           2           et non urbani moenia pressa loci.  
           3   Mox, Pius ut templum construxit et intulit urbem,  
           4           quantam urbs atque aedes postulat, esse jubet.  
           5   Ergo Pientinos si latius impleo campos,  
           6           nunc urbi, nuper oppidulo sonui.

#### NOMINE SILVIA

V\_14    v.1    Perfidiae scelerumque ultrix jam devehor ; hostes,  
           2           flectite nunc, miseri, corda superba Pio.  
           3   Discite jam tumidi considerare turribus altis ;  
           4           ecce catenati subdite colla jugo.

#### NOMINE VICTORIA

CV\_15   v.1    Este Pio faciles, ne saeviat ira Tonantis ;  
           2           namque locum terris sustinet ille Jovis.  
           3   Fulmen habet caeli rector, quo vindicet hostem :  
           4           sic ego terreni fulmen et ira dei.

#### AD CESAREM

CV\_16   v.1    Incipe, Calliope ! Cur nunc me deseris ? An non  
           2   materias versu dignas et Apollinis arte  
           3   Fridericus habet, cui nunc diadematis auro  
           4   jam caput ornatur ? Dic quae ventura sit aetas  
           5   ejus ob imperium ; nam me, nisi sidera fallunt,  
           6   spes fovet extremam damnati temporis horam  
           7   et finem venisse novo cum caesare nobis.  
           8   Tum sic arridens vultum summissa decorum :  
           9   "O nostri", dixit, "non ultima portio coetus,  
 10   nec te siderei ludunt praesagia cursus  
 11   nec spe frustraris. Nuper cum Cirria Tempe  
 12   Parnasique lacus Pegasaeaque flumina adissem,  
 13   jam chorus affuerat nostrarum quippe sororum,  
 14   in medio Phoebus. Qui me, postquam ultima veni,  
 15   exposcens "Quae causa morae quove", inquit, "ab orbe  
 16   nata venis, dic nata mihi, mea cura, meum cor ;



17 namque nimis nobis te subtrahis". Incipio tunc :  
 18 "Dive pater, fateor, longis tibi mittor ab oris :  
 19 litore ab oceani venio Rhenique potentis  
 20 urbes lustravi, Belgarum moenia vidi  
 21 et quod Aquasgrani dicunt, ubi virginis almae  
 22 reliquias servant. (Cum virginis efferro nomen  
 23 ipse genu flexit genitor, flexere sorores  
 24 atque simul virgulta comas. Sed prosequor inde  
 25 quae dixi patri. Dixi tunc :) "Magnus ab Histro  
 26 Romani rector populi veniebat et acri  
 27 vectus equo pulchra comitum stipante caterva  
 28 agminis in medio sublimis et altior ibat.  
 29 Sex electores circum totidemque columnae  
 30 imperii, grandes natu, solusque juventae  
 31 Ludovicus erat tenerae, spes maxima gentis  
 32 Bavariae, pictis qui jam splendebat in armis,  
 33 qualis Hylas vel qualis erat, quem Jupiter alto  
 34 assumpsit caelo mensesque locavit honori.  
 35 Quid referam proceres vel nobilitatis honestae  
 36 qui regem praecessit honor quae corpora vidi,  
 37 quos habitus quaeve arma virum, quod fulserit aurum :  
 38 sic domitis quondam victor remeabat Eois  
 39 Graecus Alexander, cum se Babylone recepit  
 40 ornatum spoliis : non illo signior ibat  
 41 Romulidum princeps. Vidi quam clarus in armis,  
 42 quam lingua placidus, quantum decus enitet ore.  
 43 Et, si vera docet facies moderamina, quantum  
 44 consilio pollet, quantum virtutis habet rex  
 45 edidici, sacro capiti cum sacra coronam  
 46 dextera deferret. Sed tu, quem nosse futurum  
 47 et tripodes laurique volunt, quem nulla fefellit  
 48 ingentem cortina deum : da scire, quod opto,  
 49 da regis me scire modum ; non promere tantum  
 50 facta viri cupio, modo sint ea carmine digna."  
 51 Tum genitor : "Quid, nata, jubes ventura referre ?  
 52 Qualia sint nostro sub caesare saecula, tantum  
 53 nota deis ; sed pauca deus me dicere cogit.  
 54 Hic, modo quem laudas, primo sub flore juventae  
 55 religionis amor quem duxerat, ire per omnes  
 56 terrarum pelagique minas, dum cernere posset  
 57 sarcophagum Christi, quo non est certior alter  
 58 Orbe deus, statuit. Giari tum forte sedebam,  
 59 quam quondam Micono e celsa Deloque revinxi,  
 60 cum sparsum teneras nulla lanugine malas  
 61 egregium forma juvenem super aequora vidi  
 62 servantem de puppe notos clavique magistro  
 63 dicentem : sic flecte viam, sic itur Eoas  
 64 in terras. Nostri, memini, tunc caesaris altas  
 65 virtutes novi, qua sic pietate refertus,  
 66 quantum aequi justique tenax, quam criminis hostis,  
 67 quam vasti cordis, quam bello murus, ut omnes  
 68 contemnit veneres, convivias, balnea somnos  
 69 nec Baccho indulget Cereris nec vincitur arte.  
 70 Scipio sic olim victor Carthaginis altae  
 71 vixit, et Aeacidis Pyrrhi qui perculit agmen  
 72 Fabricius, magnusque Cato, qui norma senatus

73 et populi moderator erat. Dii fata secudent  
74 Italiam recto queat hic ut poscere cursu  
75 quique nimis rugiunt saevos domitare leones  
76 ac sedem servare suam. Sic Graecia fasces  
77 imperii nomenque timens stupefacta relinquet ;  
78 sic Europa jugo collum dabit omnis, et illinc  
79 Africa victorem rursus remeare Metellum  
80 cum Mario credet ; sic tota timebit Egyptus  
81 et septemgemini titubabunt hostia Nili.  
82 Non Asiae reges solitum praestare tributum  
83 nec Parthi insolitum fugient, cum gentis in unum  
84 Teutonicae Italicaeque duces concurrere et unum  
85 audierint regem populis regnare duobus.  
86 En animos viresque dabit Germania, quales  
87 nulla feret tellus : quis vertere terga sub hoste  
88 Germanum vidit ? Quisnam est robustior illo ?  
89 En artem docti pugnae et certaminis usum  
90 Ausonii poterunt aut laedi aut vincier armis ?  
91 Sic quae sancta fides totum vulgata per orbem  
92 crescet in immensum : cessabunt horrida bella  
93 atque iterum Jani claudentur templa biformis  
94 nec pacem turbabit Arabs nec Parthia nec Thrax  
95 nec qui de minima jactat se nocte Britannus.  
96 Tuta mari navis totoque sub orbe viator  
97 tutus erit nullique legent aconita, sed ipsa  
98 quisque data felix contentus sorte quiescit.  
99 Ergo suam repetat constanti pectore Romam  
100 invictus caesar, Latias regnare per urbes  
101 signa Jovis faciat. Proh Jupiter, omnia caeli  
102 astra favent populi que vocant sua signa suumque  
103 rectorem exposcunt. Gelidas transire per Alpes  
104 victrices aquilas cogat. Mox undique current  
105 devoti imperio nimiaque tyrannide fessi  
106 Ausonii proceres regi parere parati."  
107 Sic pater. Et cunctas ceperunt gaudia nymphas.  
108 Me quoque laetitiae cumulus perfudit, eo quod  
109 jam musis video redeuntia tempora et alta  
110 otia. Grata mihi Saturnia saecula surgunt,  
111 Augusti vires Cumaeaque carmina jamque  
112 Orphi grata venit requies. Gaudete Marones  
113 Nasonesque boni : vester jam regnat Apollo.  
114 Fridericus erit vobis mercesque laborque ;  
115 hunc canite, hunc vestris semper celebrate libellis.  
116 Nec te paeniteat calamos inflare sonoros,  
117 Silvi, tuo regi : numquam vel candida Clio  
118 aut ego te solum linquemus. "Dixit et auras  
119 in tenues abiit. Vates, date metra, Latini  
120 Germanique simul. Sic Fridericus per omnes  
121 clarus erit terras et vertice tanget Olympum.  
122 Tu modo, caesar, ovans fatis arride secundis,  
123 utere sorte data : tecum deus et favor omnis  
124 est populi. Vivas et sis pius omne per aevum.

## IN EFFIGIEM AMORIS

CV\_17 v.1 "Vidimus effigiem lascivi nuper Amoris,  
 2 quae nimium mentem movit imago meam.  
 3 Nec barbam malis nec corpore tegmen habebat  
 4 nudus terga, manus, pectora, crura, pedes.  
 5 At humeris alae suberant et flexilis arcus,  
 6 lumina sub tenero caeca supercilio.  
 7 Cur puer imberbes nulla lanugine malas,  
 8 cur melius nulla copora veste tegat,  
 9 lumine cur careat, pharetram cur gestet et arcum,  
 10 cur habeat pennas, Calliopea, refer."  
 11 Sic ego. Sic retulit quaesitas ilico causas  
 12 maxima Pegasei Calliopea chori :  
 13 "Qui sapit evitat malesana Cupidinis arma,  
 14 et tantum pueros intrat ineptus amor.  
 15 Sive quod est puero similis, qui coepit amare  
 16 et perit mente, pingitur inde puer.  
 17 Pingitur et nudus : nullum servare pudorem  
 18 et meminit simplex et manifestus amans.  
 19 Pingitur et caecus, quia non bene cernit honestum,  
 20 nec scit quo virtus, quo ferat error amans,  
 21 vel quia quae peccet credit secreta latere  
 22 cuncta nec in sese lumina versa videt.  
 23 Sic est omnis amans, sic se, sic omnia nescit,  
 24 consilium, famam, foedera, jura, deos.  
 25 Aurea quod curvo torquebat spicula cornu,  
 26 pungere corda ferus significatur amor.  
 27 Quod levibus volucres humeris suspenderit alas,  
 28 causa est huc illuc quod levis errat amans,  
 29 vel quod amor cursum non semper servat eundem,  
 30 nunc abit et parvas post redit inde moras."  
 31 Dixerat et pressis obmutuit orsa labellis.  
 32 Effudi tales protinus ore sonos :  
 33 "Quam vidi effigiem pharetram gestabat et arcum,  
 34 fax tamen in dextra non fuit ulla sua.  
 35 Sed quoniam veterum finxere poemata vatium,  
 36 (quos ego quid temere commemorasse putem ?)  
 37 Dic, quare taedas fertur gestare Cupido,  
 38 da, precor, armatas cur habet igne manus ? "  
 39 Quaesitam verbis respondens musa duobus  
 40 sic leviter causam reddidit : "Urit amor".  
 41 Accipe lascivi quaenam sit Amoris imago,  
 42 Carole, Cypriaci gloria magna soli,  
 43 ut levius miserum caveas, dum noris, amorem  
 44 et redeas ad te, dum mea metra leges.

## DE BEATA CATHARINA DE SENIS

CV\_18 v.1 Quis sacra gesta canat, quae lingua diserta potensque  
 2 efferat eximie, quibus haec Caterina facunda  
 3 sponsa dei micuit totum celebrata per orbem ?  
 4 Non ego sum dignus tantis extollere dignam  
 5 laudibus, at breviter quae sint, quae moribus almis

6 vita beata fuit, referam tibi, care viator.  
 7 Haec fuit orta Senis, ubi sancti veste recepta  
 8 Dominici in voto triplici virtuteque cuncta  
 9 transcendit plures divina in lege peritos.  
 10 Illa potens verbo ac opere omnia corda trahebat  
 11 ad se hominum, ut magnes ferrum, Christusque deinde  
 12 desponsavit eam, sacris proprio ore refecit  
 13 doctrinis. Multas habuit velut optima mater  
 14 virgoque discipulas, quibus ardua regula vitae  
 15 sanctaque bis septem pietatis opuscula divae  
 16 explevit felix, et erat sublime levamen  
 17 omnibus, heu, miseris vitae in defectibus hujus.  
 18 Illa cor a domino petiit renovari alma  
 19 continue meditans ; compos feliciter alti  
 20 facta fuit voti viditque evellere Christum  
 21 cor prius atque novum flammis sibi tradere flagrans.  
 22 Haec jejuna diu nonnumquam ad sidera rapta est :  
 23 mira dei vidit. Semel autem a morte revixit  
 24 pane refecta sacro, caelesti pane salutis.  
 25 Illa crucem memori portans sub pectore semper  
 26 stigmata passa fuit (dictu mirabile) Christi.  
 27 Pontifices adiit, quibus unica gloria secum  
 28 sistere colloquiis monumentaque sancta tulere.  
 29 Ore suo tulit haec quae indulta volebat ab illis  
 30 ardua : tanta suae fuerat sibi gratia linguae.  
 31 Illa propheta quidem divino flamine plena  
 32 et pacem et bellum secretaque plurima pandit  
 33 exhortansque omnes miranda stupendaque scripsit.  
 34 Illa sciens venisse diem qua linquere mundum  
 35 expedit, exclamans "Animam, deus optime", dixit,  
 36 "in manibus commendo tuis, commendo tuamque  
 37 jugiter ancillam." Sic sponsa beata beatum  
 38 transiit ad sponsum tribus exornata coronis.  
 39 Fecit in hac vita miracula multa. Deinde  
 40 claruit innumeris post mortem splendida miris,  
 41 quae si nosse velis, quamque almae semper in orbe  
 42 vixerit, historiam devotus perlege sanctam.  
 43 Haec annis triginta tribus, quot Christus, et apte  
 44 vixit ; nam sponsam sponso decet esse coevam,  
 45 milleque trecentis simul octoginta sub annis  
 46 inclita Romae obiit Caterina beata Senensis.

#### AD LAUDEM PERPETUAE VIRGINIS MARIE

CV\_19 v.1 Virgo Teutonicis multum celebrata sacellis  
 2 mater et ipsa dei, mater et ipsa hominis,  
 3 virgo Latinorum spes et tutela meorum,  
 4 virgo, quam multo Gallia thure colit,  
 5 virgo nec Hispanas paulum laudata per urbes,  
 6 cui patet et caelum totaque terra patet,  
 7 virgo, quae magnum potes exorare Tonantem  
 8 et potes irati sistere tela dei :  
 9 ipse ego peccati servus scelerisque minister  
 10 et mandatorum fractor ubique decem

11 ad te confugio ; fateor, mortalia septem  
 12 saepius admisi crimina nuncque dolet.  
 13 Ille licet nulli veniam neget auctor Olympi  
 14 et reduci semper bracchia tendat amans,  
 15 quis tamen offensi vultum, quis iudicis audet  
 16 intercessorem nudus adire sui ?  
 17 Ergo meos, genetrix, semper miserata labores  
 18 nunc etiam nostris casibus affer opem.  
 19 Ipse mihi de te natus sine crimine culpas  
 20 condonet veteres prohibeatque novas.

## AD LAUDEM AUGUSTINI

CV\_20 v.1 Barbaricae gentis decus, Augustine, perenne,  
 2 horrida quem nobis Africa terra tulit,  
 3 qui scripturarum profers arcana sacrarum  
 4 eloquiis reserans abdita cuncta tuis,  
 5 doctior ingenuaque omni cultissimus arte  
 6 et studio praestans ingenioque nitens,  
 7 quem nihil obscurum latuit, sedet omnia clarent  
 8 atque humana simul dogmata et alma patent,  
 9 cujus et instruimur doctrinis atque monemur,  
 10 exemplis probitas cujus in orbe micat,  
 11 milia librorum per te, pater almae, leguntur  
 12 edita quae promunt quicquid ubique latet.  
 13 Sis fautor nobis pius, o sanctissime praesul,  
 14 atque deo nostras offer ad alta preces.

## IN LAUDEM HOMERI

CV\_21 v.1 Argumenta, locos, versus totumque poema  
 2 Virgilius rapuit Graio Romanus Homero :  
 3 Aeneasque locum magni sibi sumpsit Ulixis  
 4 Carthagoque fuit captis Phaeacia terris.  
 5 Barbarus interimit Pallanta hic Turnus, at illic  
 6 dat leto insignem Patroclum maximus Hector.  
 7 At Turnum Aeneas Stygias dedit ire sub umbras,  
 8 Hectora magnanimum leto dat magnus Achilles.  
 9 Jurgia Drancis enim et Turni lis illa molesta  
 10 Pelide magni et late regnantis Atride.  
 11 Singula ludorum posuit certamina uterque  
 12 nec mutavit enim quicquam, nisi forte quod alter  
 13 (quatuor in currus Paridas negat ire carinas).

## IN LAUDEM EIUSDEM

CV\_22 v.1 Vivet Maeonides Tenedos dum stabit et Ide,  
 2 dum rapidas Simois in mare volvet aquas.  
 3 Claraque praecipui vivent praeconia vatis ;

4           quare nefas ausus voce furente cadat.  
 5       Ille cadet tenuesque furor vanescet in auras  
 6           et stabit Grai nobile vatis opus.  
 7       Nil potuit tanto mors saeva nocere poetae,  
 8           quem vivum virtus, carmen, imago facit.  
 9       Ergo dum silices et dens patientis aratri  
 10           depereant aevo, carmina morte carent.  
 11       Cedant carminibus reges regumque triumpho,  
 12           cedat et auriferi ripa beata Tagi.  
 13       Vilia miretur vulgus, mihi flavus Apollo  
 14           pocula Castalia plena ministret aqua.  
 15       Una dies satis est hominum delere labores,  
 16           vatibus at certe morte carere datum.  
 17       Pascitur in vivis livor, post fata quiescit,  
 18           tunc suus ex merito quemque tuetur honor.  
 19       Ergo etiam cum me supremus adusserit ignis,  
 20           vivam parsque mei multa superstes erit.

#### IN LAUDEM HOMERI

CV\_23   v.1       Vivet Maeonides, dum mustis uva tumebit,  
           2           dum cadet in curva falce resecta seges.

#### EPITAPHIUM NICOLAI PP V

CV\_24   v.1       Hic sita sunt quinti Nicolai antistitis ossa,  
           2           aurea qui dederat saecula, Roma, tibi.  
           3       Consilio illustris, virtute illustrior omni  
           4           excoluit doctos doctior ille viros.  
           5       Abstulit errorem, quo schisma infecerat orbem,  
           6           restituit muros, moenia, templa, domos.  
           7       Tum Bernardino statuit sua sacra Senensi,  
           8           Sancta jubilei tempora dum celebrat.  
           9       Cinxit honore caput Federici et conjugis aureo,  
          10           res Italas icto foedere composuit.  
          11       Attica Romana complura volumina lingua  
          12           prodidit. En tumulo fundite thura sacro.

#### ORATIO IN BEATAM VIRGINEM

CV\_25   v.1       Salve, virgo dei genitrix, sanctissima, salve,  
           2           quae sola auxilium, virgo Maria, meum es.  
           3       Tu semper miseris prona es succurrere rebus  
           4           et numquam vacuas desinis ire preces.  
           5       Tu me, cum grandis saeviret in aequore ventus,  
           6           respicis : afflicto te duce terra datur.  
           7       O decus, o regni laus et regina superni,  
           8           tu sola es vitae causa, Maria, meae.  
           9       Vivo ego, qui mediis vitam positurus in undis

10           credebar : vivo munere, diva, tuo.  
 11       Nam frustra auxilium Neptunum et vana rogavi  
 12           Numina, quae priscis Graecia finxit avis.  
 13       Este procul veterum damnati in saecula divi !  
 14           Sat mihi cum nato ; virgo Maria, tuo.  
 15       Tres sunt personae, deus unus et una potestas ;  
 16           annuit haec precibus saepe, Maria, meis.  
 17       Flectere si quis avet magnum in sua vota Tonantem,  
 18           te roget : optatum mox feret inque suum.  
 19       Ergo age, te cunctos terraque marique vocantes,  
 20           ut me juvisti, virgo Maria, juva.

ENEAS FRANCISCO PATRICIO

CV\_26   v.1       Aurea dona duces mittunt, epigrammata vates,  
           2           annua cum nati lux redit alma dei.  
           3       Illa valent hodie ; valuerunt carmina quondam :  
           4           ditior haec aetas, doctior illa fuit.  
           5       At me, Parnasi quamvis mea nescit utrumque  
           6           Musa jugum, fateor, pulchra Thalia juvat.  
           7       Pro gemmis habeo pretiosis prorsus Eois  
           8           quos tua pro Christo cantat avena modos.  
           9       Sola fuit veterum Saturnus, Jupiter et Mars  
 10           materies vatium, Juno, Minerva, Venus ;  
 11       Herculis errores et tela Typhoea, Bacchum  
 12           musa vetus cecinit, nomina vana deum.  
 13       Crediderat nostrae non posse arcana salutis  
 14           committi numeris inscia turba sacris.  
 15       Falsa fuit : celebrem resonant tua carmina Christum  
 16           et patris aeterni numina vera canunt.  
 17       Jam tibi semideis fas est praeponere Mosen  
 18           Judaicumque doces verba Latina loqui.  
 19       Perge nec invidias, si quem cum Castore Pollux  
 20           oblectat ; Christo stat mare, terra, polus ;  
 21       illi post obitum visenda Acherontis iniqui  
 22           stagna, tuus caeli spiritus astra petet.

ENEAS IOHANNI VARADIENSIS ECCLESIE CUSTODI

CV\_27   v.1       Venisti Latia madidus Graecaque Minerva,  
           2           ut qui Guarrini discipulum referas.  
           3       Dulce canis, vena stillant de divite versus,  
           4           doctiloqui titulos vatis habere potes.  
           5       Non est cur tecum tentare in carmina vires  
           6           conemur : bello non bona dextra seni est.  
           7       Dum juvenes fuimus, Pegaseo e fonte liquores  
           8           hausimus et nullum scribere pondus erat.  
           9       Nunc oblita mihi sunt carmina, frigit aetas  
 10           atque sepulcralis unica cura mihi est.  
 11       Quae Bilbitani quaesisti Epigrammata vatis  
 12           ad te se celeri proripuerunt gradu.  
 13       Namque liber cum te Latiis didicisset ab oris

14           advectum, subito profugus hinc abiit.  
 15       Teque petens dixit "Docti peto tecta Johannis :  
 16           hic meus hospes erit, hic mea dicta leget."  
 17       At si quae currant nunc tempora conspicias et spes  
 18           afflictas, non nunc ludere, flere licet.  
 19       Non bene versiculos sacrata nocte petulcos  
 20           invi(tas) : Christi sumere dicta decet.  
 21       Cedant e manibus dulces, tua cura, poetae  
 22           et divino animum codice pasce. Vale.

#### EPITAPHIUM CARDINALIS SANCTI ANGELI IULIANI

CV\_28   v.1       Hic Julianus ego dumosa in rupe quiesco  
           2           quondam Romanae presbyter ecclesiae.  
           3       Funeris et tumuli careo : non eget honore  
           4           qui pro te vitam, Christe benigne, dedi.  
           5       In Teucros tua signa tuli vicique rebelles  
           6           saepius, ac demum victus et ipse obii.  
           7       En ego sat vixi docuique rite Bohemos  
           8           Argolicosque patres dogmata nostra sequi.  
           9       Jam bene mecum actum experior, sed Graecia plorat  
           10           majori posthac semper habenda jugo.  
           11       Parcite, Romani Graecique, dolere : nefas est  
           12           quod superis placuit non tolerare homines.

#### PIUS AD POETAS

CV\_29   v.1       Discite pro numeris numeros sperare, poetae :  
           2           mutare est animus carmina, non emere.

CV\_30   v.1       Desine pro numeris nummos sperare, poeta :  
           2           carmina si dederis, carmina reddidero.

CV\_31   v.1       Pro numeris numeros vobis sperate, poetae :  
           2           mutare est animus carmina, non emere.

#### PIUS PAPA CONTRA PODAGRAM

CV\_32   v.1       Si sacer est sanguis Christi de corpore fusus  
           2           et dignus latria, dira podagra fuge !  
           3       At si membra diu possessa relinquere nefas,  
           4           urgeat at saltem flamma dolorque minus.

CV\_33   v.1       Consilio celeri poteris res ducere magnas  
           2           quoque voles ; pereunt, quae mora longa trahit.



CV\_34 v.1 Ingenio tardi rebus nec grandibus prosunt  
2 nec parvis possunt undique consulere.

CV\_35 v.1 Consilium paucis, bellum committite multis  
2 qui regitis urbes imperiumque patres.

#### IN LATRINAM

CV\_36 v.1 Papa Pius ventres longe miseratus onustos  
2 providus hoc cunctis nobile struxit opus.

#### DE PAULO QUODAM ET PETRO

CV\_37 v.1 Quas male Paulus opes septem congesserat annis  
2 uno anno Petrus diripuit, futuit.

#### EPITAPHIUM VITELLI

CV\_38 v.1 Hoc jacet in tumulo durus cum corde vitellus,  
2 quem mors preveniens non sinit esse bovem.

#### AD PRIMAS VESPERAS

CV\_39 v.1 Haec tuae, virgo, monimenta laudis,  
2 quae tuis laeti, Catherina, sacris  
3 Hoc quidem pacto modulamur omnes,  
4 perfer Olympo.  
5 Si satis digne nequeant referri,  
6 annuas nobis veniam, precamur :  
7 non sumus tanti ingenii, fatemur,  
8 optima virgo.  
9 Quis fuit dignas modulatus umquam  
10 Virginis laudes ? Quis in orbe toto  
11 feminae invictae peritura numquam  
12 carmina pandet ?  
13 Praedita exemplis, Catherina, claris,  
14 moribus praestans, sapiens abunde,  
15 temperans, fortis, pia, justa, prudens  
16 aethera scandis.  
17 Quem latet virtus facinusque clarum,  
18 quo nequit dici sanctius per orbem ?  
19 Vulnerum formam miserata Christi

20                   exprimis ipsa.  
 21   Nam brevis, maestae miseraeque vitae  
 22   et malis cunctis penitus referte  
 23   fortiter spernens pretiosa quaeque  
 24                   sidera adisti.  
 25   Gratias summas habeamus omnes  
 26   Filio magni genitoris almo,  
 27   spiritum sanctum veneremur et sit  
 28                   laus tamen una.

## AD MATUTINUM

CV\_40   v.1   Laudibus, virgo, nimis efferenda  
           2    jure ceteris, quoniam triumphos  
           3    ipsa caelorum probitate mira  
           4            nacta refulges.  
           5    Praemium sanctae tamen ipsa vitae  
           6    et simul munus probitatis almae  
           7    accipis caelo cumulata cunctis  
           8            denique rebus.  
           9    Tu gravem sacris meritis refertum,  
 10   Orbis exemplar pietate plenum,  
 11   praedicatorum venerata patrem  
 12            ordine fulges.  
 13   Nulla jam rerum placuit voluptas,  
 14   nullus ornatus, nitor ecce nullus  
 15   corporis. Semper fugiens iniquae  
 16            crimina vitae,  
 17   saepius corpus domitans acerbe  
 18   (quam pie flagris, cruor hinc et inde  
 19   fluxerat rivis !) hominumque demum  
 20            crimina flebas,  
 21   qui per ingentes variosque casus  
 22   Orbe terrarum cruciantur omnes,  
 23   tu quidem longe pietate cunctis,  
 24            inclita, praestas.  
 25   Gratias summas habeamus omnes  
 26   filio magni genitoris almo,  
 27   spiritum sanctum veneremur et sit  
 28            laus tamen tua.

## AD LAUDES

CV\_41   v.1   Jam ferox miles tibi saepe cessit  
           2    et duces iras posuere saevas,  
           3    in necem diram populo minati  
           4            saepe Senensi.  
           5    Quid quod et sacris studiis frequenter  
           6    viribus summis operam dedisti ?  
           7    Litterae doctae lepidaeque claris  
           8            urbibus exstant.  
           9    Niteris verbis revocare lapsos,

10 niteris rectum suadere cunctis ;  
11 sic ais : "Tantum probitas beatos  
12 efficit omnes."  
13 Jura tu saevae tremebunda mortis  
14 fortiter temnens, nihil extimescens  
15 praemium nostrae vocitare vitae  
16 saepe solebas.  
17 Unde cum tempus properaret ipsum,  
18 quo sacros artus cineresque busto  
19 linqueres, caelos aditura flentes  
20 ipsa solebas.  
21 Unde cum tempus properaret ipsum,  
22 quo sacros artus cineresque busto  
23 linqueres, caelos aditura flentes  
24 ipsa docebas.  
25 Sic sacrum Christi venerata corpus,  
26 hostiam libans lacrimis obortis  
27 dixeras cunctis documenta vitae  
28 voce suprema.  
29 Gratias summas habeamus omnes  
30 filio magni genitoris almo,  
31 spiritum sanctum veneremur et sit  
32 laus tamen tua.